

enim Delphicus à Cræsi legatis interrogatus, quid Princeps ille Sardibus ageret, respondit eum hoc ipso temporis articulo testudinem cum agno coquere in lebete æneo. Porro factum illud ab alio resciri nequii, quàm à Dæmone qui summâ prædictus celeritate, Lybiam ævolare et Delphos revolare uno momento potuit.

Denique oracula suis in responsis victimas humanas non rarò exigebant, ut constat ex historicis: jamverò tanta immanitas à solis Dæmonibus imperari potuit; ita enim à naturâ comparati sunt homines, ut à sanguineis sacrificiis abhorreant. Præterea ex iis nihil lucri sperare poterant Sacerdotes: quinimo summum ipsis imminebat periculum, si eorum fraus detegeretur; quod ne fieret, pertimescendum erat.



### DISSERTATIO III.

#### De Religione Judaicâ.

POSTQUAM genuina veræ Revelationis signa exposuimus, miracula scilicet et Prophetias, nunc inquirendum nobis superest, quænam in terris Religio divinis illis characteribus insigniatur: ecce autem occurrunt Judæi, suamque nobis offerunt Religionem, in eo consignatam opere quod dicitur *Pentateuchus*, et Moysen habet autorem: *Pentateuchi* autem nomen ex duabus vocibus Græcis coalescit, et significat quinque libros. Hoc nomine donatur opus à Moysæ conscriptum, quia libros quinque complectitur, *Genesim* scilicet, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros* et *Deuteronomium*. Ibi multa narrantur Moysis cum Deo colloquia, et plurima in eorum confirmationem referuntur

referuntur miracula et oracula. Divinam igitur jure ac merito sibi vindicat originem et auctoritatem Religio Judaica, modo constet prædictum opus esse authenticum, integrum et verax. Quæ tria totidem in capitibus stabiliemus, ex probatissimis Scriptoribus decerpendo quidquid ad revincendam incredulorum contumaciam efficacius nobis videbitur.

### CAPUT PRIMUM.

#### An authenticus sit *Pentateuchus*

QUIN authenticus sit *Pentateuchus* dubitari non poterit, si duo constant: primum, Moysen non fuisse personam fictam, quod asserere ausi sunt temerarii quidam increduli: secundum, Moysen operis quod ab ipso scriptum dicitur, genuinum esse autorem; quapropter sit.

#### PROPOSITIO I.

##### *Moyfes non est Persona ficta.*

Probatur. Universalem in omnibus factis historicis Pyrrhonismum admittere, summæ insaniam est: atqui Moyses non potest esse persona fictitia, quin universalis in omnia facta Pyrrhonismus invehatur: nam quodcumque factum historicum protuleris, nullum reperias quod gravioribus nitatur argumentis, quàm illud de quo nunc agitur: curenim extitisse olim Alexandrum Magnum, Darium, Pompeium, Cæsarem, sine ulla dubitatione credimus? nonne quia illorum hominum memoriam constans fama et traditio ad nos usque transmisit? Atqui pariter constans et perpetua

traditio, innumerorumque testium nubes, quorum nemo sanus fidem suspicabitur, Moyses memoriam ad nos usque transmisere. De ipso, qualem exhibet Pentateuchus, mentionem faciunt libri Josue, Judicum, Regum, Danielis; uno verbo, omnia passim sacra volumina. Judæi tum veteres, tum hodierni, Moysen ut suum legislatorem agnoscunt; Judæis hac in parte suffragantur ipsimet Samaritani, Judæorum hostes infensissimi; fatentur Julianus Apostata, Celsus, et alii suam incredulitate famosi, quorum tamen illud negare plurimi intererat. In eandem veritatem admittendam conspirant auctores profani, Diodorus Siculus, Strabo, Trogius Pompeius, Justinus, Plinius et alii; ergo Moysen extitisse, nec commentitium esse heroem iisdem constat argumentis quibus facta vel maxime indubitata adstruuntur; ergo si fictitia sit persona, fides historica penitus convellitur et corrumpitur, admittendusque erit in omnibus factis Pyrrhonismus universalis; ergo, etc.

### PROPOSITIO II.

*Pentateuchus non suppositum, sed genuinum est Moysis opus.*

Prob. 1°. Nemo sanæ mentis dixerit nullum apud Veteres esse opus genuinum, id est, quod illius sit auctoris cujus nomine inscribitur: atqui tamen si Pentateuchus suppositum sit Moysis opus, nullum erit apud antiquos scriptum, quod germanum sit illius opus, cujus nomen gerit. Idem enim esto iudicium de aliis scriptis, ac de iis quæ Homeri et Virgilio nomina præ se ferunt: atqui in hypothese quam impugnamus, hæc scripta dici non possunt genuina illorum auctorum opera. Ideo quippe talia censentur, quia fides publica quæ errori subjacere non potest, testatur hæc scripta illorum esse, quorum nomina exhibent: atqui

pariter fides publica constantissimaque traditio testatur Pentateuchum genuinum esse Moysis opus. Huc etiam recurrunt innumeri testes in priori propositione appellati. Moysen enim non memorant, nisi ut legum Judaicarum quæ in Pentateucho continentur autorem, ipsique opus illud adscribunt. Hac in re unanimes sunt scriptores profani, Judæi, Samaritani, Christiani, Pagani, licet ex iis multorum interfuerit illud inficiari. Vide doctissimum Huetium, qui in demonstratione Evangelicâ, hæc omnia testimonia longo ordine descripsit: ergo, etc.

Prob. 2°. Quia impossibilis fuit Pentateuchi suppositio; nam si possibilis fuisset, vel ante Moysen, vel ipso vivente, vel post illius mortem: atqui nihil horum dici potest. 1°. Non ante Moysen: aut enim vera sunt quæ in Pentateucho continentur, aut falsa; atqui in utraque hypothese impossibilis fuit suppositio; si enim vera sunt, necesse est ut impostor, qui opus illud confinxit, eximius fuerit Propheta, ut potè qui præviderit non solum Moysen aliquando exiturum, sed etiam innumera ab ipso patranda esse miracula: atqui repugnat Deum alicui impostori tam insigne et inauditum Prophetiæ lumen infundere: si verò falsa sunt quæ in Pentateucho referuntur, hæc nunquam apud Hebræos fidem obtinere potuissent; imò statim omnes reclamassent. In Pentateucho enim maximi momenti facta narrantur; agitur scilicet destupendis miraculis; agitur de rebus ad totam Hebræorum gentem pertinentibus: quales sunt, egressus ex Ægypto, commoratio in Deserto, forma regiminis à Deo instituta: agitur de factis quæ multis familiis probrosa erant; atqui si hæc falsa sunt, quomodo Judæi ut vera admittere potuerunt mendacia tam publica, tamque sibi maximam ex parte indecora? ergo 1°. ante Moysen possibilis non fuit Pentateuchi suppositio.

2°. Nec vivente Moysen; vel enim, ut jam dixi-

mus, vera sunt quæ in Pentateucho narrantur vel falsa. Si primum, manifestum est non esse suppositum, nec fictitium alicujus impostoris opus. Si secundum, quis fidem adjunxisset? Nonne Ægyptii, nonne Israelitæ, nonne Moyses ipse adversus fraudem tam apertam reclamassent? Ergo 2<sup>o</sup>. Pentateuchus, vivente Moysse, supponi non potuit.

3<sup>o</sup>. Nec post Moysis mortem. Aut enim in concinnandam hanc fraudem omnes conspirassent Hebræi, aut aliquot tantummodò: atqui neutrum dici potest; non quidem primum; nam frequens est Pentateuchus in referendis et redarguendis Israelitarum delictis, seditionibus, ingrati animi vitio, rebellionem in Deum, propensione in Idolatriam; gravissimum etiam legum et cæremoniarum jugum ipsis imponit; jubet circumcidi omnes masculos, et innumera pro peccatis offerri sacrificia; prohibet ne Sabbato vel pauca ligna colligantur, et ne ulla cum extraneis ineantur conjugia. Alia ejusmodi plurima præcipit aut vetat, et quidem plerumque sub pœna capitis: atqui fieri non potuit, ut universi Hebræi in illud mendacium consenserint, quod æternæ infamiæ notas ipsis inurebat, ac durissimis molestissimisque legibus et cæremoniis eos quasi obruebat; qui aliter sentit, hominem nescit; ergo, etc. Secundum etiam dici non potest: hæc quippè confictio non potuit, extincto Moysse, ab aliquibus fieri; tum enim ceteri omnes qui in fraudis societatem non venissent, adversus mendacium universæ genti tam grave et probrosum insurrexissent, ut satis patet; ergo 3<sup>o</sup>. Pentateuchus supponi non potuit post mortem Moysis; aliud nec ipso vivente, nec ante ipsum; ergo penitus impossibilis fuit hæc suppositio.

*Solvuntur objecta.*

Objicies 1<sup>o</sup>. Moyses immeritò dicitur autor

Deuteronomii: Jordanem enim non transiit: atqui tamen Deuteronomium trans Jordanem scriptum est, siquidem ille sic incipit liber: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Jordanem*; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Nam propositio quam Latinus Interpres vertit per *trans*, in Hebraico idiomate æquivoca est, et perindè significat *trans* et *citra*, ita ut ex circumstantiis æstimandus sit illius sensus; unde fit ut pluribus in Deuteronomii locis, post hæc verba *trans Jordanem*, ad tollendam ambiguitatem subjiciantur hæc alia, *ad orientalem* vel *occidentalem partem*. Vatablum, Buxtorfium, et ceteros Linguae Hebraicæ peritos hac in re consensientes habemus. Aliter etiam solvi poterit difficultas, dicendo scilicet præpositionem Hebraicam derivari à verbo quod idem sonat ac *transire*, ac proinde primariam ipsius et propriam significationem esse istam *in transitu*, gallicè, *au passage*, ut notant doctissimus Houbigant in Radicibus Hebraicis, Rabbi Salomon, Rabbi David: *Textus igitur nobis objectus sic verti potest: Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses, cum proximus esset et mox trajiciendus fluvius Jordanis, sive ad ripam, et latus fluminis*; quâ positâ interpretatione, penitus evanescit difficultas.

Obj. 2<sup>o</sup>. In toto Pentateucho agitur de Moysse in tertia persona; atqui si ipsius esset autor, talem non usurparet loquendi modum; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Scriptoribus enim sive sacris, sive profanis, ea familiaris est consuetudo, ut tertia in persona de se ipsis modestiæ causâ loquantur. *Vidit Jesus*, ait de se ipso Matthæus, *hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*; (*Matth. 9. v. 9.*) et Sanctus Joannes de se ipso sic habet: *unus ex discipulis. . . quem diligebat Jesus.* (*Joan. 13. 23.*) Sic Cæsar suis in Commentariis; sic Josephus in suis de Bello Judaico Libris: atqui non ideo in suppositionis suspicionem veniunt ip-

sorum opera ; ergo pariter eam ob causam infruari non potest Pentateuchi autoritas.

Obj. 3°. Moyses illius libri non fuit autor , in quo ipsius obitus et sepultura describuntur ; repugnat enim ipsum suam mortem memorasse : atqui in fine Deuteronomii , obitus et sepultura Moysis describuntur ; ergo , etc.

Resp. Neg. maj. Etiam si enim Moyses ea verba non scripserit , quæ ipsius mortem et sepulturam spectant , et quæ in fine Deuteronomii reperiuntur , numquid idcirco totum Deuteronomium erit suppositum ? Quidam existimant Moysen Spiritu Prophetiæ affatum , mortem suam , dum viveret , scripsisse ; cujus rei hanc causam affert Josephus : ( *Lib. 4. Antiquitatum Judaicarum.* ) Moyses , inquit , in sacris Voluminibus scripsit se mortuum , ne Judæi , propter eximiam ejus virtutem , à Deo raptum prædicarent , ipsumque ut Numen colerent ; ita etiam Philo Judæus. ( *Lib. de vita Moysis.* ) Sed vulgaris hæc est interpretum sententia , scilicet Moysis mortem , sepulturam et laudes quæ ad calcem Deuteronomii leguntur , non à Moysæ scriptas fuisse , sed ab alio adjectas , ut integra haberetur sanctissimi Legislatoris historia ; sive is fuerit Josuë ; sive quilibet Autor sacer , qui post captivitatem Babylonicam sacros recensuit Libros , et fortè nonnulla ex quibus clarior fieret narratio , adjunxit.

Alii verò , quod verisimillimum est , putant ultimum Deuteronomii caput , in quo Moysis interitus , sepultura , luctus , encomia narrantur , ipsum esse Libri Josuë initium , quod inde distractum est , ut Deuteronomio adjiceretur , sicque nihil Moysis historiæ deesset. Illud autem suaderi potest , 1°. ex eo quòd Deuteronomium optimè claudatur per benedictiones et præces à Moysæ in duodecim tribuum gratiam fusas , et quas continet caput à postremo proximum ( *pénultième* ) ; ultimum verò Deuteronomii caput aptum sit Libri

Josuë initium ; quem nisi ab isto capite ordiaris , abruptum nimis erit exordium à particula copulativa , *Et* , hoc modo sumptum : *et factum est post mortem Moysis* : 2°. quia divisio Scripturarum in libros , capita , versus , recentioris est ætatis : hinc facile contingere potuit , ut in Scripturarum distributione , aliqua pars suo detracta fuerit auctori , et in alterum rejecta.

Obj. 4°. Plurima sunt in Pentateucho locorum et urbium nomina , quæ non nisi post mortem Moysis ipsis fuerunt imposita : unum sufficiat exemplum : ( *Genes. cap. 14.* ) Abraham Reges qui Loth captivum abduxerant , usque *Dan* persequitur ; non nisi autem post Moysis obitum , nomen illud datum est urbi quæ prius dicta erat *Lais* ut constat ex Libro Judicum ( *cap. 18.* ) Ergo Moyses autor Pentateuchi dici nequit.

Resp. trans. ant. neg. conseq. Etiam si enim quædam in Pentateucho legerentur nomina Moysis ætate adhuc insolita , inde quidem legitime inferri posset ejusmodi nomina à Moysæ non fuisse scripta , minimè vero integrum Pentateuchum Moysi abjudicandum esse. Ea quippè nomina ad faciliorem intelligentiam subinde potuerunt ad marginem textus scribi , vel inter linearum spatia interjici , unde postea in ipsummet textum irrepsere ; vel etiam potuerunt ex industria prioribus substitui nominibus , quæ in desuetudinem abierant ; numquid hujusmodi levissimæ additiones aut mutationes , ad majorem textus explanationem factæ , satis erunt ad convellendam libri autoritatem , tantis confirmatam rationibus ? Si valerent illæ adversariorum cavillationes , ex omnibus Veterum scriptis , ne unum quidem esset , quod authenticum meritò diceretur ; vix enim unum reperias , cui aliquid additum non fuerit , aut detractum.

Dixi autem transeat antecedens , quia nullo satis gravi argumento nititur , nihilque juvat

exemplum quod objicitur. Probandum enim incumbit adversariis, nomen *Dan* id utroque Genesis et Libri Judicum capite eundem exprimere et designare locum, quod nunquam evincere poterunt; nonne multiplex esse potuit civitas, nomine *Dan*, sicut plures erant *Ninive*, plures *Antiochia*, etc.

Obj. 5°. Genes. 12. 6. legitur Abrahamum ex Haran venisse Chanaan; et deinde sic pergit autor: *Chanaanæus autem tunc erat in terrâ.* Hæc autem verba significant eo tempore quo scripta sunt, jam non extitisse Chanaanæos in illa regione, ac proinde autor Geneseos expulsis Chanaanæis posterior fuit: atqui tamen quo tempore Moyses scripsit, nondum Chanaanæi ab Israëlitis suâ terrâ depulsi fuerant, illudque non nisi post ipsius obitum contigit.

Unde sic disputatur: Autor alicujus libri in eo narrare non potest, quæ post mortem suam gesta sunt: atqui in Pentateucho memoratur Chanaanæorum è sua regione expulsio: quæ post Moysis mortem contigit; ergo Moyses non est autor Pentateuchi.

Resp. 1°. Transeat major. Autor enim Prophetiæ dono insignis potest, inspirante et futura revelante Deo, ea scribere quæ post ipsius mortem sunt eventura: atqui Moyses Prophetiæ dono fuit illustris; ergo, etc.

Resp. 2°. Neg. min. Hæc enim verba: *Chanaanæus autem tunc erat in terra*, non significant Chanaanæos eo tempore, quo scribebat autor Pentateuchi, è sua regione expulsos fuisse; sed eo sensu sunt accipienda, quod Chanaanæi jam terram occuparent, in quam sese contulerat Abrahamus: hinc Gallicè sic vertenda sunt. *Dès-lors, vel déjà, le Chananéen habitoit ce pays-là.* Hæc autem interpretatio, quæ nihil habet longius accersitum, omnem diluit difficultatem. At, inquires, hæc observatio: *Chanaanæus autem tunc erat in terra*,

prorsus inutilis est et otiosa, si tempore quo scribebat Geneseos autor, Chanaanæus suam incoleret terram. Respondeo his verbis memoriæ traditum factum historicum, quod deinceps potuisset obliterari, vel etiam tunc à quibusdam ignorari omnino poterat. Præterea illâ narratiunculâ commendatur fides et magnanimitas Abraham qui, jubente Deo, non dubitavit patriam deserere, apud infideles Chanaanæos sedem figere, ibique veri Dei cultum profiteri.

Obj. 6°. Sic narrat Moyses: *Filii Israël comederunt manna quadraginta annis. . . . hoc cibo alii sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan: (Exod. 15. 35.)* atqui id asserere non potuit Moyses; jam enim obierat, cum Israëlitiæ terram Chanaan ingressi sunt; ergo, etc.

Resp. Neg. min. 1°. Por annos quadraginta, dum viveret Moyses, Israëlitiæ mannam in deserto comederunt; id ergo commemorare potuit. 2°. Noverat Israëlitis anno quadragésimo in terram Chanaan esse ingressuros, nec diutius vagos fore, sic revelante Deo: *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta. (Num. 14. 33.)* Noverat præterea eosdem in terra Chanaan manna non esse nutriendos, quia hæc regio fructuum omnium erat feracissima. Denique cum esset eximio Prophetiæ dono instructus, nonne potuit tempus prædicere, quo desitura esset manna? Nihil ergo mirum est, si prænuntiet Moyses, fore ut Israëlitiæ post annos quadraginta in regionem Chanaan introducti, cibum illum cœlitus delapsum non comederent.

Obj. Apud Josuæ sic legitur: *Ædificavit Josuæ altare Domino. . . . de lapidibus impolitis. . . . et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysis, quod ille digesserat coram filiis Israël. (Josuæ cap. 8. v. 30, et seq.)* Unde sic arguitur: liber Deuteronomii, qualis nunc extat, non potest integre duodecim lapidibus, per modum altaris dispositis,

inscribi: atqui tamen ex prolato textu, Deuteronomium prout ab ipso Moysè digestum est, totum inscriptum fuit lapidibus, per modum altaris dispositis, et quidem numero duodecim, ut fert Rabinorum traditio; ergo libet Deuteronomii, qualis nunc extat, et qui Pentateuchi non minima pars est, à Moysè non fuit scriptus.

Resp. 1°. Neg. maj. Lapidum enim magnitudo, laudatis Josuè verbis non definitur; nihil ergo vetat quominus duodecim lapides satis ingentes, fuisse credantur, ut totum Deuteronomium iis inscribi potuerit; maximè verò si minutiores, adhibiti fuerint characteres.

Resp. 2°. Neg. min. Nam dicitur quidem Deuteronomium fuisse super altaris lapides exaratum; sed quisnam fuerit illorum lapidum numerus, silet Scriptura; nec tanta profecto est Rabinorum auctoritas, ut eis fidem adjungere teueamur.

Obj. 8°. Temporibus Moysis in usu non erat scriptura alphabetica; ergo Pentateuchum non scripsit Moyses, ita *D. Voltaire* et alii.

Resp. Neg. ant. Testatur enim historia etiam profana, omnes ferè populos persuasum habuisse, litteras alphabeticas suam ab antiquitate remotissima ducere originem; Assyrios et Chaldaeos ipsis eandem, quam suo imperio, vetustatem attribuisse; earum inventorem, juxta Aegyptios, fuisse *Thot*, vel quemdam ex filiis suis: *li tam*, inquit doctissimus *Varburton*, *Diis suis nullius rei inventionem tribuebant, cujus originem noverant: Cecropem et Cadmum, quorum alter ante Moysen, alter verò iisdem temporibus vixisse creditur, litterarum alphabeticarum cognitionem jam tum in Græciam detulisse. Porrò vetustissimæ illæ circa characterum alphabeticorum antiquitatem traditiones aliquam fidem sibi vindicant.*

Quàm turpiter à seipso dissideat famosus Poëta, sic demonstrat auctor eximii operis, cui titulus: *Lettres de quelques Juifs . . . à M. de Voltaire*;

*Vous dites dans votre Philosophie de l'histoire (art. Phéniciens) que tout ce qui nous reste de monumens antiques, nous avertit que Sanchoniaton vivoit à peu près du temps de Moysè; et vous ajoutez un peu plus bas que son livre écrit, s'il faut vous en croire, en caracteres alphabetiques, est d'une antiquité prodigieuse. Voilà donc ces caracteres alphabetiques, dont l'invention, selon vous, fut très-tardive, même chez les peuples les plus anciennement instruits; les voilà, dis-je, d'une prodigieuse antiquité: et le Législateur assez récent de la nation Juive, selon vous, très-récente, étoit, selon vous, contemporain, d'un auteur prodigieusement ancien. Quis ita subtilis sit, ut opiniones adeo pugnantes conciliet?*

Obj. 9°. Libri plurimi, quales sunt *Decretales*, tanquam authentici diù habiti fuerunt, quos tamen confictos esse, neque ab autoribus quibus tribuebantur scriptos, postea demonstrarunt Critici; ergo idem licet de Pentateucho suspicari.

Resp. Neg. conseq. et paritatem 1°. Enim epistolæ *decretales* per octo priora secula prorsus incognitæ fuerunt. 2°. Quando è tenebris emersere, ab Orientalibus rejectæ sunt, à Latinisque non paucis, et quidem eruditissimis, repudiatæ. 3°. Non continent facta publica quibus nitantur totius gentis religio et politicum regimen. 4°. Multa tradunt, quæ cum temporum, ad quæ referuntur, moribus non coherent.

Contrà verò Pentateuchus ab omnibus, à sectis etiam sibi invicem infensissimis, tanquam opus authenticum, semper habitus est; nunquam delituit, et facta publica narrat, ex quibus pendent universæ gentis Judaicæ Religio et administratio politica; præterea nihil continet quod locis, temporibus et moribus non sit consonum; ergo inter Pentateuchum et *decretales* epistolas immanè est discrimen.

## CAPUT II.

## De Pentateuchi integritate.

**I**n eo sita est libri cujuslibet integritas, quod adulteratus non fuerit, sive per detractionem, sive per additionem; quod duplici modo fieri potest, nempe vel in rebus *essentialibus* et gravioris momenti, vel in iis quæ levia sunt. Liber etiam corrumpi potest, vel ex industria ad confirmationem erroris, vel ex incuria sive imperitia Amanuensium, Gallicæ, *des Copistes*: posteriori hoc modo vitiatum fuisse Pentateuchum, levioribusque mendis inspergi fatemur: hæc enim est omnium operum conditio quæ sæpius transcripta sunt. Id igitur unum in controversiam adducitur, utrum scilicet Pentateuchus quoad substantiam fuerit adulteratus, adeo ut in rebus ad fidem vel mores pertinentibus, summa non sit ipsius autoritas.

## P R O P O S I T I O.

*Pentateuchus eo sensu integer est, quod non fuerit quoad substantiam adulteratus.*

Prob. 1°. Liber ille quoad substantiam integer est, cujus corruptioni obstabant, tum Prophetarum autoritas, tum Judæorum zelus, tum ipsius libri usus et notitia communis, tum denique factorum quæ in eo continentur natura: atqui ne in gravioribus vitiaeretur Pentateuchus, obstabat 1°. Prophetarum autoritas. Namque apud Judæos continua fuit Prophetarum series: atqui perpetua illa successio Pentateuchi integritatem in tuto collocabat. Sancti enim illi viri divinam autoritate freti, impiorum machinationibus obstiterunt, et si quis

in Pentateuchi libros corruptricem manum injecisse, quæ ipsis fuissent detracta restituissent, et quæ fraudulenter iisdem addita delevisissent; aliter se gerendo mendacium autoritate suâ, quæ tamen divina erat, confirmassent: atqui illud repugnat.

2°. Pentateuchi integritatem violari non tulisset Judæorum zelus. Quanta enim fuerit illorum erga Moysis libros reverentia, quanto animi ardore in eorum conservationem exarserint, ita ut pro ipsis etiam mortem aliquando subierint, nemo nescit; in sacris illis voluminibus sua jura, sua privilegia, suos nobiliores titulos extare gloriabantur, in iisque spem omnem suam reponebant: atqui fieri non potuit ut liber cujus integritati gens tota vigilabat, quoad substantiam vitiaeretur.

3°. Obstabat Pentateuchi usus pervulgataque notitia. Facile quidem adulterari potest liber obscurus, et qui paucorum interest; nequaquam verò liber notissimus, qui solus est regula, tum regiminis civilis, tum Religionis populi numerosissimi; qui omnium manibus teritur, qui in singulis familiis lectitur; quem assidue meditantur Doctores et Magistratus; qui palam solemniterque singulis septenniis legitur; quem Rex ipse pervolvere et propria manu transcribere tenetur; cujus exemplar in ipso templo omni curâ asservatur. Quis crediderit hujusmodi librum potuisse in rebus gravioribus adulterari? Atqui talis erat apud Judæos Pentateuchus.

4°. Denique obstabat natura factorum quæ in Pentateucho continentur. Sunt enim facta publica, maximi momenti, monumentis, cæremoniis festisque testata. Sic, v. g. egressus ex *Ægypto*, festo Paschatis, promulgatio legis in Monte Sinai datæ; festo Pentecostes; commoratio in deserto sub tentoriis, festo Tabernaculorum consecratæ erant: atqui hæc aliaque hujusmodi facta tam publica, tamque sensibus obvia, non potuerunt adulterari, ut patet; ergo, etc.

Prob. 2°. Pentateuchus non potuit quoad substantiam interpolari, nisi vel à Judæis, vel à Samaritanis, vel à Paganis, vel à Christianis: atqui nihil horum dici potest. 1°. Non à Judæis, alioquin ea sanè expunxissent, quæ ipsis injuriosa et onerosa deprehendissent: atqui tamen ea non expunxerunt; nam Pentateuchus, qualem nunc habemus, grave ac penè intolerandum Judæis imponit jugum, eosque apud omnes orbis populos infamat tanquam gentem in seditiones, in rebellionem, in idololatriam, aliaque crimina turpissima propensissimam. 2°. Non à Samaritanis; si quam enim gravem mutationem tentassent, in eos statim insurrexissent Judæi, cum quibus atrocissima exercebant odia: atqui tamen nullam hujusmodi mutationem in Pentateuchum inveciam Samaritanis exprobrarunt Judæi. 3°. Non à Paganis, alioquin ea prodigia sustulissent, quibus veri soliusque Dei cultus asseritur: atqui tamen hujusmodi miracula non deleverunt; siquidem ea in Pentateucho etiamnum referuntur. 4°. Non à Christianis, quia fraudi vehementer obstitissent Judæi, Christianorum hostes infensissimi, eamque occasionem maximam cum voluptate arripuissent nobis impietatis notam inurendi: atqui tamen nihil simile à Judæis factum legimus; ergo, etc.

Prob. 3°. Vel Pentateuchus quoad substantiam non fuit adulteratus, vel eadem labe in omnibus veteris Testamenti libris admittenda est. Ita enim sunt cum Pentateucho devincti et colligati, ut ille labefactari nequeat, quin ceteris omnibus sua pereat integritas. Ubique enim eadem dogmata, eadem principia, eadem præcepta, eadem facta et miracula memorantur: atqui nemo, nisi desipiat, dixerit omnes veteris Testamenti libros quoad substantiam fuisse corruptos; ergo, etc.

*Il n'est pas possible, inquit D. D. de Montazet, d'attaquer la pureté ou l'authenticité des Livres de Moïse, sans ébranler en même temps l'histoire entière*

*du Peuple Juif et tous ses monumens. Les écrits des Prophetes, les Pseaumes de David, tous les autres Livres de la Nation tiennent à ceux de Moïse, par une liaison inséparable, comme l'édifice au fondement. Tout retient au Pentateuque, comme au centre commun: ce sont des parties d'un tout indivisible, qui se rendent un perpétuel témoignage, et se prêtent un mutuel appui. (Instr. Past. sur la Relig. in-4°. pag. 46.)*

## Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Omnia Legis exemplaria incendio Hierosolymitano periére, et ab Esdra iterum scripta sunt, ut legitur Lib. 4. Esdræ, cap. 14: atqui, hoc semel posito, quoad substantiam Lex adulterari potuit; ergo non ita constat libros Moysis esse integros.

Resp. 1°. Neg. maj. Omnia enim Legis exemplaria flammis interiisse non aliunde constat, quam ex libro quarto Esdræ: atqui illius Libri autoritas exigui est momenti; siquidem ut suppositus, minimèque authenticus habetur. Præterea non desunt rationes et quidem gravissimæ, quæ opinionem hanc evertant.

1°. Lib. 4. Regum Cap. 25, et 2. Paralipom. cap. 36. omnia quæ Chaldæi, expugnatà Hierosolyma, incenderunt, destruxerunt, aut Babylonem asportarunt; ea, inquam, singula seorsim recensentur: atqui de sacrorum librorum combustione ibi prorsus siletur; ergo eos flammis non fuisse traditos omnino probabile est.

2°. Etiam si Nabuchodonosor Rex libros Judæorum abolere tentasset, fieri non potuit ut nulla exemplaria ejus impietatem effugerint; quis enim in animum sibi inducere possit, Jeremiam Prophetam qui, ut refert autor libri II. Machabæorum, arcam fœderis, altare incensi, et tabernaculum ab urbis et templi incendio liberavit.



et illæsa servavit, non majori cum studio et curâ sacros Codices, ne omnino periissent, tutos præstitisse? 3°. Decem tribus centum triginta et amplius annis ante incendium Hierosolymitanum fuerant in captivitate abductæ, et inter eas plurimi erant viri pietate insignes, qualis fuit Tobias, quos Prophetæ Elias, Elisæus, etc. ad cultum Dei informaverant: atqui verisimile non est nullum ex iis penes se habuisse et secum asportasse exemplar Pentateuchi. 4°. Undecim annis ante eversionem Hierosolymæ, Ezechiel, Daniel, et alii veri Dei cultores in Babylonem cum rege Joachim translati fuerant: atqui nemo crediderit viros illos, et præsertim Ezechielem, utpotè Prophetam et Sacerdotem, libros illos sibi carissimos secum non detulisse.

Resp. 2°. Neg. min. Etiam si enim Libri Moysis flammis aboliti fuissent, et ab Esdra restituti, inde colligi non posset eos ab ipso quoad substantiam adulteratos fuisse; namque si habeatur ratio testimonii auctoris Lib. 4. Esdræ, quo solo nititur fictitia hæc omnium sacrorum voluminum jactura et restauratio, Esdras eodem, quo Moyses, spiritu in denuò conscribendis veteris Testamenti libris fuit afflatus, ut patet ex objecto capite 14. Denique quod refert autor libri IV. Esdræ, eo sensu debet intelligi, quod Esdras accuratorem sacrorum Codicum editionem adornaverit.

Obj. 2°. Lib. 1. Machab. cap. 1. v. 59 et 60 sic legitur: *Libros legis Dei combusserunt igne, scindentes eos, et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini . . . trucidabant eum.* Unde sic: sacri Codices, grassante Antiochi persecutione, flammis omnes periére: atqui facile est impostori libros igne consumptos corrumpere; ergo sacri Codices facile potuerunt quoad substantiam adulterari.

Resp. Neg. maj. Ex eo quòd enim legis exemplaria conquiesierit furens Antiochus, omnia in-

venta et flammis consumpta fuisse non sequitur; præsertim si ad Judæorum indolem attendas, summamque eorum in sacros Codices venerationem; quoties idem tentarunt ferocissimi Religionis Christianæ persecutores, nec tamen perficere potuerunt? Præterea extabant exemplaria in externis bibliothecis, præsertim in Alexandrinâ, quæ Antiocho non subjiciebantur; extabat 70 interpretum versio; extabant sacra volumina in manibus Judæorum tunc apud alienigenas comorantium. Omnia exemplaria non fuisse ab Antiocho reperta et deleta, patet ex Judæorum ad Spartiatas epistolâ; ubi tentantur invenire se in sanctis libris, malorum quibus conflictabantur, lenimenta; *habentes solatio*, inquit, *sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* (*Ibid. cap. 12. v. 9.*)

Obj. 3°. Ex lib. 4. Regum, cap. 22. 13. Elcias sacerdos reperit volumen legis in domo Domini, illudque dedit Saphan Scribæ deferendum Josiæ Regi; qui cum audisset verba legis hujus, scidit vestimenta sua, et tremebundus misit ad Prophetidem, cui nomen erat *Holda*, ut consuleret Dominum *super Rege et super populo*, de verbis voluminis illius quod inventum est.

Unde sic; temporibus Josiæ unicum erat legis Mosaicæ volumen: atqui facile adulterari potest volumen quod unicum superest; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Nullum enim assignari potest tempus, quo tanta fuerit apud Judæos sacrorum Codicum penuria, ut exemplar unicum extiterit. Namque 1°. extabant exemplaria manupropriâ à singulis Regibus descripta. Sic enim præceperat Deus: *Postquàm Rex sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis, accipiens exemplar à sacerdotibus.* (*Deuter. 17. v. 12.*) 2°. Non deerant apud sacerdotes legis exemplaria: hanc enim populum edocere illorum munus erat; inde istud lib. 2. Paralip. cap. 17. 9. *Sacerdotes*

docebant populum, habentes librum legis Domini. 3°. Samaritani qui jam à Judæis erant disjuncti suum habebant Pentateuchum.

Inst. Cùm audiisset Josias verba libri ab Elciâ reperti, maximâ formidine fuit correptus; de iis voluit Dominum interrogari, ipsemet ea legit coram populo, novumque cum Deo fœdus percussit: atqui hæc omnia probant, nullum tunc apud Judæos fuisse legis exemplar, præter illud quod ab Elciâ sacerdote in domo Domini reperi- tum fuit: si enim alia tunc extitissent exempla- ria, cur ita stupuisset Josias? ergo, etc.

Resp. Neg. min. Quæ enim de Josiâ narrantur, non probant Moysis legem antea fuisse incogni- tam, et omnia ejus exemplaria, uno excepto, interiisse: inde sequitur tantummodò librum ab Elciâ detectum, eum esse quem Moyses propriâ manu scripserat, ut sic legitur lib. 2. Paralip. cap. 34. v. 14. *Reperit Elcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysis.* Porro volumen illud in arcâ fœderis, jubente Deo, repositum fortè è memoria exciderat, vel potius sub impio Manasse, ne flammis traderetur, in secretiori templi loco abditum fuerat; quo recepto, obstu- puit Josias, non quòd periissent legis exemplaria, sed quod comminationes terribiliaque vaticinia ex ipso, ut ita dicam, Moysis ore audiens, acriùs vividiusque ad ea mala attendit, quæ sibi popu- loque ob innumeras legis infractiones pertimes- cebat; Deum igitur consuluit, ut cognosceret an mala in eo libro denunciata ad ipsum spectarent, et quale remedium iis afferendum esset. Nomine Dei Prophetissa respondit, omnia hæc mala super Judæos in pœnam scelerum adducenda quidem; sed paululùm differri, quia Josias audierat verba voluminis, et perterritum fuerat cor ejus. (4. Reg. 22. 19.) Quapropter pius ille Rex ad flecten- dam Dei iracundiam populum congregavit, ut legem audiens eam postea accuratius exequeretur;

fœdusque cum Domino renovavit, ut per itera- tam promissionem, populi zelum et ardorem ac- cenderet: quæ interpretatio quasi sponte fluit ex totâ facti illius narratione, qualis in objecto loco legitur.

Obj. 4°. Historiæ Mosaicæ triplex est chrono- logia, alia Samaritanorum, alia Hebræorum, alia 70. Interpretum, quæ insigniter à se invicem discrepant. Sic, v. g. juxta Codicem Hebraicum et Vulgatam, anni tantùm 1656 numerantur à creatione usque ad diluvium; 70 verò Interpretes annos computant 2242; quod discrimen est anno- rum 586. Porro si in calculis chronologicis vitari potuit Pentateuchus, quidni etiam in aliis factis?

Resp. 1°. Causam nostram juvat hæc difficultas, nedum ipsi noceat. Vitium aliquod, inquis, in Pentateuchi chronologiam irrepsit, sive amanuen- sium incuriâ, sive alio modo; inde contigit, ut codices et versiones in ea parte plurimùm dis- sentiant; pariter ergo, si in factis præcipuis et maximi momenti, qualia sunt miracula, corrup- tus fuisset Pentateuchus, in eo capite insigniter discrepant varii codices, variaque illius operis exemplaria: atqui tamen in iis non dissident, quæ ad facta splendida et miracula spectant; in ea igitur parte nulla fuit adulteratio.

Resp. 2°. Maximè discordes sunt Herodoti, Xenophontis, Diodori Siculi chronologiæ: atqui tamen id non obstat quominus factis quæ ab illis Historicis memorantur fidem adhibeamus; ergo pariter, quamvis in Historiæ Mosaicæ chrono- logiam quædam invecta fuerit obscuritas et discre- pantia, non ideo licet factis quæ in eâ referuntur fidem detrectare.

